

quam facultatem a necessitate liberam in operibus suis, non solum naturalibus, sed etiam supernaturalibus, ut aperte definit Concil. Trident., sess. 6, cap. 5, et can. 5 et 6; et Scripturis et rationibus probat late August. lib. de Grat. et lib. arbit., et latius moderni de hac materia scribentes, et nos brevius in libro 1 de Auxil., a princip. Præcipue vero videri possunt eruditæ disputationes Cardin. Bellarmini in tota controversia de Grat et liber. arbitr., cum Præfatione.

9. *Unde liber actus denominetur.* — Hinc etiam actus qui ab hac facultate libera procedit, liber denominatur: oportet autem ut ab illa, ut indifferens est, procedat. Non enim defuerunt aliqui moderni Catholici qui negaverint ad libertatem actus esse necessariam indifferentiam, seu carentiam necessitatis, sed satis esse carentiam coactionis: sed hæc sententia reprobata est inter assertiones Michaelis Baii, assertion. 30 et 41, et in lib. 3 ex professo refutabitur. Ut ergo actus sit vere liber, non satis est quod sit voluntarius, seu non coactus; sed etiam ut non sit necessarius simpliciter, ac proinde ut procedat a potentia libera, ut indifferentiam et libertatem retineat, ut in ipso usu et exercitio libera et integra potestate sua sinatur operari, ita ut in manu ejus sit inter contraria vel contradictoria eligere, vel operari aut non operari. Quia, ut actus sit liber, necessarium est ut procedat a facultate libera, ut libera est; non procedet autem a potentia libera, ut talis est, nisi expeditam habeat suam facultatem quoad utramque partem, utique operandi et non operandi. Quid enim proderit ad libertatem talis actus, quod potentia innatam habeat indifferentiam, si in ipso usu impediatur? Quapropter, supposita distinctione data de duplici necessitate, altera ab intrinseco per naturalem determinationem potentiae ad unum, alia ab extrinseco per impulsu alicujus extrinseci agentis, prior repugnat non solum actui, sed etiam facultati liberi arbitrii, et ideo fieri non potest ut potentia libera tali necessitati subdita sit respectu ejusdem objecti, quia contradictionem involvit, ut per se notum est. Posterior autem necessitas non repugnat facultati liberæ, ut nunc suppono, et paulo post probabo; repugnat autem actui libero, quia, ut talis sit, oportet ut procedat a potentia, ut libera, vel quoad specificationem, vel saltem quoad exercitium, juxta modum quo actus liber fuerit, quia non habet quod sit liber, nisi per denominationem a suo proximo principio. At vero si actus procedat

a potentia necessitatem patiente, sive per intrinsecam necessitatem potentiae determinatæ ad unum, sive per extrinsecam necessitatem immissam potentiae de se liberæ, jam impeditur, et tollitur libertas actus; ita ut liber dici non possit, nec laude vel vituperio dignus, quia non procedit a potentia, ut libera est, nam ipsa non valet necessitatem illam auferre, vel prævenire, et ideo non potest illi imputari quod tali modo, et non alio operetur. Quam doctrinam satis clare docuit Concilium Tridentinum loco citato, et necessaria omnino est ad salvanda omnia quæ de humanis actionibus earumque libertate Scriptura docet. Ideoque censeo in hoc puncto non esse disensionem inter Catholicos, licet in modo explicandi et defendendi hanc libertatem possit esse aliqua diversitas.

CAPUT II.

QUÆ SINT NECESSARIA UT POTENTIA SIT LIBERA, ET LIBERE OPERETUR.

In superiori capite, solum voces seu loquendi modos explicavimus, nunc vero aliquid de re ipsa addendum et fundandum est, ut potest, in gratiæ auxiliis explicandis et cum libertate arbitrii conciliandis, solide et efficaciter procedere possimus.

1. *Prima assertio.* — *De ratione potentiae formaliter liberæ, qua talis, est ut sit potentia activa.* — Primum igitur omnium statuimus, de ratione potentiae formaliter liberæ esse ut, quatenus talis est, sit potentia activa. Est certa et communis assertio, quam probare possumus, primo, ex Scriptura; ubicumque enim libertatem arbitrii declarat, verbis utitur ad propriam potestatem agendi pertinentibus; ut est illud Ecclesiast. 15: *Ad quod volueris porrige manum tuam; et illud: Quæ enim odit ne feceris; et illud cap. 31: Qui potuit facere mala, et non fecit.* Item illud Zachar. 4: *Convertimini ad me,* per quæ verba libertatis nostræ admonemur, ut Concilium Tridentinum dixit; nemo autem seipsum convertit nisi agendo. Simile est illud Apocalyps. 3: *Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum;* nam verbum *aperiendi* efficientiam includit. Ac denique 2 Petr. 2: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* et similia passim occurrunt. Secundo, id probamus ex Conc. Trid., sess. 6, cap. 5, ubi, cum dixisset homines vocari a Deo per gratiam, ut, *eidem gratiæ libere assentiendo et*

cooperando, in ipsum Deum convertantur, explicat illam liberam cooperationem dicens: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui et illam abjicere potest. Neque tamen sine gratia movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit;* et ideo in can. 4 damnat dicentes *liberum arbitrium nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, aut nihil omnino agere, mereque passive se habere.* Ergo, ex sententia Concilii, potentia passiva ad liberum usum non sufficit; est ergo libertas formaliter in potentia activa.

2. Tertio, idem probatur Patrum auctoritate; August., lib. 12 de Civit., c. 6 et 7, ubi, agens de causa actus mali, dicit ad voluntatem ipsam reduci tanquam ad causam efficientem et deficientem. Idemque docet lib. 1 de Liber. arb., a cap. 12, et l. 3, c. 1 et 2. Additque c. 3 *illud esse in potestate nostra, quod cum volumus facimus, quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est.* Quod repetit et confirmat libro 1 Retract., cap. 9 et 22. Non dicitur autem aliquid esse in potestate nostra propter potentiam passivam, sed propter activam, quam ipsum nomen potestatis significat. Unde idem Augustinus, libro 1 Retract., cap. 1, recognoscens verba quæ in quæst. 1 lib. 2 ad Simpl. posuerat: *Quamvis sit in cujusque potestate quid possit; ait ideo illa dixisse, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit, ubi primum et maximum est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa, cum volumus.* Unde etiam l. 83 Quæstionum, quæstione 8: *Moveri (inquit) per se animam sentit, qui sentit in se esse voluntatem: nam si volumus, non alius de nobis vult, et iste motus animæ spontaneus est; et quæst. 24: Nec peccatum, nec recte factum (ait) imputari cuiquam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate.* Et hoc modo ait utrumque esse in libero voluntatis arbitrio. Est ergo voluntas libera per potestatem activam, quam habet supra suos actus. Sic etiam dixit Damascenus, lib. 2 de Fide, cap. 25, ideo hominem esse liberi arbitrii, quia in sua potestate habet eas actiones quas libere operari dicitur; et ideo omnem deliberationem actionis causa suscipi; et addit in cap. 26: *In nostra potestate sunt ea quæ liberum nobis est facere vel non facere,* et alia quæ prosequitur, per quæ omnia docet libertatem in nobis esse per activam potestatem. Idem sumitur ex Anselmo, lib. de

Concept. Virg., cap 6; Bernard., lib. de Grat. et liber. arbit.; et citatur Nyssen., lib. 7 Philosoph., cap. 1 et 2; habet Nemesi, de Nat. hom., cap. 29, 39 et sequentibus.

3. Quarto, probatur ex scholasticis, et imprimis ex D. Thoma, 1 p., quæst. 82, art. 4, et quæst. 83, in corp. et ad 2. Item 1. 2, quæst. 9, art. 1 et 3, quibus locis ait voluntatem esse potentiam se et alias moventem per modum agentis, eandemque esse liberum arbitrium, quatenus ad utrumlibet potest seipsam movere. Idem habet quæstione 22 de Verit., art. 9, in corp., et ad 1, et quæstione vigesima-quarta, articulo quarto in corp., et ad 15, in qua solutione declarat expressius liberum arbitrium, ut tale est, esse potentiam non passivam, sed operativam. Idem tradit Capreolus 2, distinctione 24, quæstione 1, articulo 1, conclusione 5; et Scot. in 2, distinctione 25, in argumentis *Ad oppositum*, et in toto discursu quæstionis; Durand., distinctione 24, quæst. 2, num. 10, 19 et 34; Gregor., eadem distinctione, quæstione unic.; Henric., quodlib. 10, quæstione nona, ubi, parum a principio, ait voluntatem totam esse moventem et motam, sed moventem quatenus libera est, quæ libertas, ait, est formaliter in ipsa. Idem habet quodlib. 12, quæst. 17: *Ad hoc (inquit) quod aliquid dicatur esse vere ex libero arbitrio, oportet quod sit ab illo, ut a movente proximo, et sic voluntas est domina suorum actuum.* Bellarmin., lib. 3 de Grat. et lib. arb., cap. 10.

4. Tandem ratione declaratur, quam Scotus supra optime attingit: nam potentia libera est quæ in manu et potestate sua habet mutari, vel non mutari; nam hoc est esse dominam sui actus vel mutationis, in quo dominio libertas consistit. Hæc autem potestas non est in potentia passiva, ut passiva est; ergo oportet ut sit in potentia activa, quatenus activa est. Minor probatur, quia non est in potestate ac dominio patientis, ut tale est, quod patiat necne: hoc enim pendet ab agente, quia patiens ideo patitur, quia agens in illud agit. Actio enim infert passionem, et ordine naturæ vel rationis illam præcedit, et ideo talis est passio qualis est actio, et non e converso, loquendo causaliter et a priori. Ergo actio non est in potestate patientis, ut patiens est, id est, in dominio ejus, sed agentis; quia prius non est in potestate posterioris, sicut præceptum non est in potestate subditi, sed superioris; ergo etiam passio non est in potestate patientis, ut tale est, sed in

potestate agentis, quia posita actione necessario sequitur passio, et ideo eatenus tantum potest passio esse aut denominari libera, in quantum actio fuerit libera; ergo utrumque est in potestate et dominio agentis; ergo libertas solum est in potentia activa, ut activa est. Quapropter, licet voluntas sit receptiva sui actus, et sub ea ratione sit potentia passiva, non est tamen libera, nisi quatenus potestatem habet eliciendi et non eliciendi actum suum, et in tantum receptio ejus potest esse libera ipsi voluntati, in quantum illum efficere est illi liberum: si enim ab alio agente reciperet actum, ipsa nihil efficiente ex parte sua, necessario illum reciperet: quod si esset in potestate alterius agentis non immittere in voluntatem talem actum, alteri agenti esset liber ille effectus, non ipsi voluntati. In potentia ergo passiva, ut passiva est, non est libertas.

5. *Objectio.* — Dices: passum interdum determinat actionem agentis, vel ad illam confert, vel illam impedit; ergo eadem ratione potest ex parte potentiae passivae provenire, ut agens illam immutet vel non immutet; ergo etiam poterit libertas esse in potentia passiva, ut passiva est. Antecedens patet in causa superiori et universali necessario agente; determinatur enim ad hanc vel illam actionem ex parte passi, ut patet in sole exsiccante lutum et liquefaciente ceram. Item, in causis particularibus, actio est major vel minor, juxta dispositionem passi, et interdum omnino impeditur propter resistantiam ejus. Ac denique in moralibus et supernaturalibus, quando Deus infundit habitum voluntati, ipsa voluntas mere passive se habet, et nihilominus receptio est illi libera, quia ex ejus pendet dispositione.

6. *Responsio.* — Respondeo negando secundam consequentiam, quia passum, ut tale est, si sit omnino idem, non potest determinare actionem agentis, nec magis juvare vel impedire actionem unius agentis quam alterius: si vero sit diversum, seu diverso modo dispositum, tunc determinatio, resistantia, vel similis effectus, erit omnino necessarius, aut si participet aliquam indifferentiam, necessario pendebit aliquo modo ex potentia activa libera. Declaratur: nam si agens sit naturale et potens ad plures effectus efficiendos propter universalem virtutem, non potest circa idem passum eodem modo dispositum ad certum effectum determinari, nisi passum illius tantum sit capax. Nam si passum sit de se

indifferens ad plures, non est cur ab illo determinetur tale agens ad unam actionem potius quam ad aliam, ut recte notavit Scotus supra, § *Contra conclusionem*. Si autem passum sit capax unius tantum effectus, tunc determinabit quidem actionem agentis; determinatio autem erit omnino naturalis, seu necessaria, ut per se constat; et eodem modo si passum sit diverso modo dispositum, determinat quidem actionem talis agentis, necessitate tamen naturali, ut patet in illo exemplo de sole liquefaciente ceram, vel exsiccante lutum, utrumque enim facit necessitate naturali. Et ratio est, quia ex parte recipientis, ut sic, non provenit determinatio actionis, nisi propter incapacitatem naturalem, vel limitationem capacitatis ab aliqua dispositione proveniente, et ideo si limitatio illa vel dispositio naturalis sit, etiam determinatio est necessaria, nec potest ex parte passi esse libera. Idemque est de resistantia, vel impedimento, aut carentia illius proveniente ex naturali dispositione recipientis: intercedit enim eadem ratio. At vero si agens sit liberum, tunc potest determinare suam actionem, et consequenter etiam passionem circa idem passum de se indifferens et capax plurium actionum. Et tunc quidem determinatio libera est, provenit autem ab eminentia potentiae activae, et dominio quod habet in suam actionem, nec potest aliunde provenire. Interdum etiam passio aliqua seu receptio potest pendere ex dispositione libera passi, et tunc licet receptio proxime non possit esse libera ipsi recipienti, quia ab illo non fit, remote potest denominari libera, quatenus ab ejus libera dispositione pendet: illa autem libertas in eo posita est, quod effectio talis dispositionis est libera, et ita semper manat ex potentia activa in qua residet; et hoc modo receptio primae gratiae sanctificantis potest dici homini libera remote, in quantum efficere contritionem est homini liberum, et in naturalibus potest dici esse homini liberum caleferi a sole, in quantum libere potest ad solem accedere, vel ab illo recedere. Propria ergo libertas semper est in potentia activa, ut activa est.

7. *Secunda assertio.* — *Indifferentia dominativa potentiae activae, ut activa est, ad formalem libertatem alicujus facultatis requiritur.* — Secundo, dicimus, et sequitur ex dictis, ad formalem libertatem alicujus facultatis requiri indifferentiam per eminentiam quamdam dominativam potentiae activae, ut activa est, tum ad varias actiones, tum ad exercen-

das vel non exercendas illas, aut simpliciter, aut in tali vel tali determinata specie. Ut hanc assertionem declarem, suppono sermonem esse de libertate creata, quae primario consistit in ordine ad proprios internos actus ejusdem facultatis, scilicet, voluntatis, et illis mediantibus extenditur ad alias externas actiones: quod secus est in libertate divina, quae immediate in actionibus seu effectibus extrinsecis exercetur: nam in Deo ad intra nulla effectio, vel receptio, seu additio libera esse potest, ut nunc suppono tanquam certum: cum proportione tamen potest assertio ad libertatem divinam applicari, ut facile consideranti patebit. Deinde suppono vulgarem distinctionem duplicis libertatis, quoad exercitium et specificationem, quarum prior consistit in potestate habendi et non habendi, posterior in potestate habendi hunc vel illum actum. Et illius facultatis conditio, quatenus illorum plurium actuum seu statuum capax est, indifferentia vocatur. Dico ergo hanc indifferentiam, ut sit verae libertatis, debere convenire tali facultati per se, et ut potentia activa est.

8. Probatur primo de indifferentia quoad exercitium, quia imprimis ad illam necessaria est potentia activa. Hoc enim probant omnia adducta in praecedenti assertione, et per se evidens est, quia nisi supponatur vis agendi in tali facultate, semper carebit actione, quia actio esse non potest, nisi ab habente vim agendi, eritque illa carentia, non per modum privationis, sed per modum simplicis negationis, sicut potest esse in qualibet re inepta ad agendum. Deinde probatur de potentia ad non agendum, quia, si potentia careat actione ex aliqua impotentia agendi, tunc non est libertas in carentia actionis, sed necessitas; quia impotentia aequivalet impossibilitati, et impossibilitas agendi aequivalet necessitati non agendi: ergo ut carentia actionis libera esse possit, supponit in ipsa facultate talem potentiam agendi, quae vi sua possit non agere, non ex impotentia, sed ex eminentia virtutis, quam recte vocarunt theologi dominium actus. Carere enim actione ex impotentia non est dominium, cum de ratione domini sit potestas utendi et non utendi; ergo ut potentia vere sit domina sui actus quoad exercitium ejus, oportet ut non ex impotentia, sed ex interna et eminenti potestate actionem possit suspendere. Et ob hanc causam non potest talis indifferentia inveniri immediate in potentia passiva, ut passiva est, respectu passionis: quia

licet possit interdum pati, et interdum non pati, in utroque pendet ab agente. Unde si adsit agens, necessario patitur, vel absolute si agens sit naturale, vel ex suppositione actionis, si agens sit liberum et velit. Si vero agens absit, vel cohibeat actionem, tum etiam necessario non patitur, et ex quadam impotentia, quia ut passiva est, non potest se ad actum reducere.

9. Probatur deinde assertio de indifferentia quoad specificationem, ex dictis etiam in assertione praecedenti, quia libertas est propria et immediate conditio potentiae activae, ut activa est; ergo si talis indifferentia sit respectu plurium actuum, necesse est ut in tali facultate sit vis effectrix omnium illorum actuum: nam si tali virtute careat ad aliquem illorum efficiendum, respectu illius non erit libera, cum respectu illius non sit activa. Non sufficit autem, ad libertatem circa tales actiones, vis superior et quasi universalis effectiva plurium actionum vel effectuum, quia in agente naturali potest similis virtus inveniri, ut in sole, cujus virtus per eminentiam quamdam indifferentem est ad plures effectus et actiones; ergo ad indifferentiam libertatis, ultra illam quasi universalem vim activam, necessarium est ut illa sit conjuncta cum quadam eminentia dominativa, ratione cujus potest inter ipsas actiones eligere, aut se ad hanc potius quam ad illam flectere. Propter quod merito dixit divus Thomas in 2, dist. 28, quaest. 1, art. 1: *Hominem non fore liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret*. Et quaest. 22 de Veritat., art. 9, in fine corporis, dixit in potestate voluntatis esse ut objectum oblatum sibi acceptet, vel non acceptet, quia non est naturaliter determinata: et in solutione ad primum, addit *posse voluntatem directe seipsam immutare respectu aliquorum, cum sit domina suorum actuum*; et plura alia in lib. 3 afferimus: et idem sensit Scotus in 1, dist. 25, ad ult., et alii auctores allegati. Potestque comprobari omnibus Scripturae et Patrum testimoniis, quae in assertione prima adduximus; nam ab omnibus indifferentia haec per modum hujus domini declaratur: et si quis plura desiderat, legat Stapletonium, libro quarto de Justification., cap. 3; et Ruardum, art. 7, § *Est autem*, fere per totum; et Bellarminum, libro tertio de Libero Arbitrio, cap. 5.

10. *Tertia assertio.* — *Completa vis activa et dominativa requiritur in virtute libera.* — Dico, tertio, ad libertatem proximam et absolutam arbitrii, requiri ut virtus facultatis, in suo or-